

8043
57
V. 587
HR

QUINAM SUNT PRÆSENTIS AEVII, CUM PRAETER-
LAPSO ILLO COMPARATI, IN RELIGIONE ATQUE
VIRTUTE PROMOVENDA PROGRESSUS,
AUT DEFECTUS & REGRESSUS?

DISQUISITIO THEOLOGICA,

QUAM

APPROB. MAX. VENER. FACULT. THEOL. ABOENS.

PRAESIDE

Mag. JACOBO BONSDORFF,

*S. S. Theol. Doct. & Profesj. Publ. Director. Semin. Theolog.
Equite Imper. Ord. de S. Volodim. in IV:ta Clasje,*

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERT

ANDREAS JOHANNES WENNGREN,

Borealis.

In Audit. Philos. die IX Martii MDCCCXXV.

h. a. m. c.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.





Quinam sunt præsentis ævi, cum præterlapso illo
comparati, in religione atque virtute promo-
venda progressus, aut defectus & regressus?

§. 1.

Iniquissimus in optimam vitæ humanæ constitutionem me-
rito censeretur, qui summum, quo feruntur mortales, ad
felicitatis & perfectionis metam pertingendi nisum ævo abju-
dicare vellet cuidemumcunque. Ut enim nemo mortalium ab
Immortali rerum Statore frustra sibi concessam sensit unquam
aut sentiet vitium immensam varietatem, nec ullus sibi ex-
tortum penitus & suffocatum voluerit salutis propriæ, ex sui
amore derivatum, stimulum; ita nec barbara adeo fuit unquam
aut imis adeo deppresa servitutis vitiorumque voraginibus
gens, quæ felicitatem suam in universum atque ipsa humani-
tatis jura vel abdicaverit vel amiserit. Sed est in hac ipsa
rite definienda & stabienda augendaque ingens vitæ humanæ
diversitas, ex diverso ingenii cultu, morumque habitu facile
dimetienda. Etenim refert ipsum humanum genus imaginem
vitæ ætatum, ex infantili sua ruditate morumque innocentia,
multiplices per experientiæ gyros ad senectutis sensim prope-
rans inauritatem atque constantiam. Quod si vero nemo fa-
nus anteactæ infantiae & rudioris ætatis revocare voluerit pe-
ricula, sed hilari cursu ad nova indies feratur salutis suæ ex-
perimenta, quis iniqua feret mente tenuia generis nostri incu-
nabula, longam post annorum seriem, cum melioribus com-
mutata esse vitæ feliciter transigendæ subsidiis? quis nostris in-
dignabundus felicia denegabit, infesta vero omnia queribundus
portendet fata temporibus?

A

Acqua

Aequa ergo pensitemus lance hodierni ævi cultum, cum præter ipsi illius habitu comparatum, nec quidquam in re tanti ponderis, partium studio aut aliis affectibus committamus, Divam tantum pro viribus & strictim quærentes veritatem, generisque nostri dignitatem & utilitatem.

§. 2.

Salutem humani generis universam ex morum non minus quam idearum pendere puritate, nulla eget demonstratione. Cogitemus igitur *Primum* in ipsa *idearum* forma hodierna, quot infelicia errorum portenta proscripterit sanior religionis institutio; quot inanes disceptationes, hypotheses, cavillationes filere in adytis sanctioris doctrinæ jusserit verior Sacrarum litterarum interpretatio; quotque præjudicatas opiniones ad veritatis trutinam examinandas ablegaverit & exterminaverit sanioris rationis & philosophiae usus. Divam veritatem non amplius decretalium fulminante suffocatam videmus turbine, nec panicum amplius terrorem mentibus, ad cœlestia adspirantibus gaudia, incutiunt hierarchica atque armata hominum dictamina; Implicitam Christianæ fidei theoriam expedire, & pertinacissimas, quibuscum fere colluctata est religio universa, repugnantias si non funditus evertere, saltem compescere docuit recens nata harmonia rationis & revelationis; pacem cum contrafentientibus colere rigidior ipsa cœpit dogmatum quorumvis tenacissima secta; nec verbis ludere aut invicem dilacerare in religiosa causa sustinent cordatores, sanctissimis suis satis circumscripti & præmuniti limitibus. Progressibus scientiarum quarumeunque debetur hæc purior Divinas veritates tradendi methodus, quam pristinæ scholæ longe antecellere, nemo non fatebitur æquus rerum arbiter. Fuere quidem & sunt haud pauci integerrimi acutissimique viri, qui Indifferentismi ac Scepticismi, nullo non tempore grislantis, nostro tamen ævo latius adspergere adnisi sint maculam, quia, si vel maxime otiosas multas & odiosas jamjam proscriptum
iri

iri videant lites & quæstiones, alias tamen maximi momenti res cernant summa ingenii tractari levitate; verum enim vero, ut evitari non omnino posunt quivis animorum & ingeniorum abusus, ita quoque ab ævi nostri continua progesibus jure exspectes, fore, ut sanctissima religio, quanto arctius cum ipsa experientia & animi natura conferatur, tanto etiam tutius invictissimis suis in posterum muniatur propugnaculis, jurgiorum vero, errorum & calumniarum satis ampla suffocetur seges.

Longe autem feliciorem Diva religio sortita est successum per popularem institutionem, cuius consilium in eo maxime versatur, ut cum vita ipsa & experientia proprius conjugatur Divina hæc scientia. Quis tantam in plebe, quantam anteactis retro seculis, offendit ignorantiam, superstitionem & errores? Quis tetram redire jubebit fascinandi & hariolandii artem; quis obfessiones dæmoniacas spectrorumque nugas stultissimus in scenam iterum reducat; verbo, quis accensam in plebe clariorem extinguere lucem audebit? Sunt quippe hæc semina verioris lucis cœlestibus in veritatibus, tum juvenilis institutionis ac educationis, tum etiam communis hominum sensus ope jamjam adeo in honestiorum non modo, verum etiam plebeiorum circulo dispersa, ut extirpari non possint. Ceteras quoque scientias, cum religione non nihil habentes commercii, quamquam nondum ad culmen suum evectas, ingenti tamen progresu publicam adauxisse felicitatem, certo certius statuitur. Philosophiam enim, quam de cœlo delatam laudabat Socrates, cum vita humana arctiori vinculo connexuit nostra ætas, atque a morosis follicitiis vindicavit impedimentis. Quid enim tantopere scholæ aut eruditorum orbi arcani instar relinquendum erat; quid ab experientia hominum vulgari removendum, nec ad vitam communem adcommendandum? Utilissimas humano generi præcludere velle veritates, tanto minus in animum inducet fanus quisquam Philosophus, quo te-

statius sit, omnem de animi nostri, morum atque ingenii natura disferendi rationem omnium spectare salutem, & ad omnium revocari sensum. Hanc laudem concedamus fas est nostro tempori, subtilissimas si exceperis ac parum frugiferas nonnullorum disceptationes, practicam sensuque communi familiarem nostratibus propinatam esse philosophandi methodum, nec cogitandi libertatem per violentas quasdam præemptam esse aut unquam præemptum iri turbas. Meliora jam sentit, cogitat, judicat plebs, laudabili discendi aviditate ac auribus ve-
l ut arrestis sapientiorum urgens commercia. Insigni quoque successu effloruit, felicissimoque religionis connubio confirmata est publica civitatem administrandi peritia, quæ dudum intra Principum distenta cancellos, civium raro occupaverat animos, raro civitati libertatem concescit sentiendi, apertiusve sua proferendi vota, jam vero in omnem publicæ felicitatis campum laetius egressa, insuperabile eidem contra tyrannidis omne genus spondet propugnaculum. Neque leves sunt progressus, quos tam ad tuendam vitæ atque bonorum securitatem, quam morum externorum cultum promovendum explicatior fecerit iurium doctrina, quamquam disimulandum non sit, justo va-
tio rem legum ambitum ad novas commovendas lites haud raro contulisse, certumque maneat, mores ut plurimum legum anteverttere sapientiam ac multitudinem, hanc vero e morum enasci vagabunda indole. "Inventa enim lege, ait *Tacitus*, invenitur fraus, & emendare quam peccare posterius." Hanc tamen sedulam legis circumspectionem male dixeris morum minari ruinam, cum potius pro indies crescente cultu & luxu ci-
vilis intersit prudentiæ cavere, ne sanctissima violentur huma-
nitatis, religionis & societatis jura. Dabimus hoc Legumla-
toribus cultioris ævi explendum nobile officium, dabimus venturis temporibus, abusus tollere atque defectus, quibus ju-
ra civium nonnihil turbata cernuntur, nec spem licebit dese-
rere, socialis vitæ corruptionem religionis olim & legum sa-
cramento, si non penitus tollendam fore, saltem coërcendam.

§. 3.

Morum porro quis sit hodierni ævi, cum proxime præterlapso comparati, habitus, longe difficilius est judicatu. Grasatur ex una parte ingens animorum levitas, non modo in rebus ad religionem spectantibus, verum etiam in domoesticis hujus vitæ usu; Exarsit libido omnia ex suo fingendi ingenio & ad suum vertendi commodum; voluptas & intemperantia sola dominari visa. Sed ex altera haud obscurum erit observare partem, libertatem, amorem in patriam, justitiam, beneficentiam, veritatis studium, si non ultra majorum nostrorum limites sepe extendisse, attamen haud interrupto invaluisse & increvisse studio, quare nec decet veritatis studiosum, grata hæc cultioris orbis specimina alta premere caligine.

Libertatem, nobilem hanc, quacum nati & educati sumus, nec religioni neque civitatati noxiā, facultatem, primam constitūimus virtutum omnium, non quidem a majorum plane abhorrentem ævo, sed periculosam illis temporibus, raram ac miseram. Atque ut hierarchicam dominationem non commenoremus, quis sine metu quodam Religionis sanctissimæ invisere adyta, quis liberum conscientiæ tenere usum, quis mentem a præjudiciis purgare, diversaque in accidentalibus sentire sine periculo potuit? Vibabant hinc superstitionis arma, fulminabat illinc orthodoxæ aut catholicæ sententiae violenta defensio. Metum inter & continua calumniarum, proscriptiōnum flagella, quis Divam veritatem libere amplexaretur, aut ad nitorem restitueret suum? Spiritum vero libere jam ducere videmus cultiorem orbem, non modo in hujus vitæ, sed etiam futuræ prospicienda salute, eximiosque varios secum tulit hæc ipfa conscientiæ libertas fructus, nominatim moderationem & tolerantiam, quæ, tantum abest ut religionem evertat verisimilam, ut potius eandem stabilitat atque e figmentis repurgare valeat. Inimicum non amplius resonat in mutua hominum consortione hæretici nomen; non odio proscinditur alterius fama, nec jus arripiunt mortales Divinam inhumaniter vindicandi gloriam.

In

In ipsa plebe quid valeat liberum conscientiae dictamen, ad mutuas sedandas commotiones, pacandamque hanc vitam, læta dudum evicit experientia. Obmutuere enim inanes multorum in plebis simpliciorem cogitandi & vivendi rationem clamores, quasi rectum fidei non incederet tramitem rudior *hæc* hominum pars; fanatica piarum mentium deliria non denuo excitant aut vexant rigidiores confessionum normæ, sed veritatis ad metam tranquillo properare sinunt cursu. Experiuntur hujus vitae delicias cives, in ipso dissentientium gremio, neque his jura invidebunt societatis civilis, quandoquidem eodem utuntur Divino patrocinio.

Amorem quoque in Patriam, celsissimum hunc ad grandia quævis facinora ferentem stimulum, utpote ex ipsa libertate enatum, *indies* cepisse nostris temporibus alimenta, quis refragabitur? Haud obscura enim ejus sunt vestigia, non modo in principum, nonnullos si exceperis, rempublicam administrandi prudentia, verum etiam civium seniori felicitatem promovendi studio, conspicienda. Ultimum simulac ducere spiritum tyrannidis omne genus videatur, in scenam prodeant civilium virtutum decora necesse est, nec amplius abjecta adeo quis mente patriæ salutem gloriamve libidini aut ambitioni temere atque impune consecrabit. Tristia quidem fuere, immo horrenda generis humani spectacula recentissima, quibus ad fanaticum usque furorem laudabilis *hæc* virtus ruere visa; verum *hæc* est animi communis indoles, ut quodemumcunque nervos intendat suos, limitibus non æque contineatur, sed procellæ instar erumpat, obicesque frangat omnes, donec pacem sibi metipsi conciliaverit. Fervente enim in patriam amore, fervent omnium studia, fervet indignatio, ira, vindicta, donec nemo supersit, qui inimica struere publicæ saluti posit consilia. At vero qui seculi nostri res gestas attentius consideraverit, summo cum stupore heroas admirabitur, quales rara tulit ætas antea, heroas extrema adeuntas pericula, dulceque illud:

— 7 —

illud: *pro patria mori*, spirantes. Atque ut post tempestatem
furentem serenior inclarescit dies, ita pacem bello parere in-
viatus amor in patriam solus valet. — Longe vero salubriora
& in publicam felicitatem tendentia sunt pacifica quævis insti-
tuta, tanto illa lucidiora, quo latius per omnia vitæ genera
extendantur, quæ ut recensemantur, longum satis foret. Huic
enim scaturigini, huic amori in patriam, humanum genus ac-
cepta refert omnia felicioris vitæ instrumenta; huic artium,
scientiarum, commerciorum atque quæstuum florem, huic tran-
quillitatem publicam gloriamque in ipsis tristioribus satis refert
civitas, atque ex hoc fundamento jura omnium gentium, tan-
topere quidem concusa, tandem tamen explicabuntur.

Nostris quoque temporibus laudi est tribuendum, quod
humanitatem, justitiam, beneficentiam, ceteraque officia ex æ-
qualitatis agnito principio oriunda, majoris fortassis, saltem
ejusdem ac antea, æstiment mortales pretii atque obseruent.
Loqvuntur id innumera ad miseros sublevandos instituta col-
lectaque salario, liberaliter exstructa ædificia, morbosis omnis
generis curandis, pauperibus alendis, frivolisque subjugandis
attemperata; immo quoque id loquitur uberrimus ad vitam
sufficiendam spectans apparatus, quo crescens indies civium
numerus a mendicandi dira necessitate ad honesta quævis re-
vocatur negotia. Fortiori vinculo legis justitiam omnem esse
munitam, nec temere aliorum in jura involandi subministrari
malevolis materiem, aut frivolam tantam in ipsa sanctione pœ-
narum grislari licentiam ac antea videbis. Cavit enim omnis
legum prudentia, ne pro arbitrio jus, aut contra æquitatem
pœna statuatur; immo ipsa pœna non amplius inhumanitatis
aut crudelitatis tantum secum fert, ut potius ad corrigendos
scelestos componi & mitigari cernatur, quod quin morum e-
mendationi cedat, dubitari vix potest. Pristina vero tempora
si attenta recolere voluerimus memoria, asperitatem, injurias
ac offensiones potentiorum in inermes ignobilesque impun-
sæpius

sæpius excitari hincque rariores quidem causas forenses ac iuris, sed multo frequenter fuisse oppressionem ac calamitatem plebis reperire licet. Quæ fuerit servorum fors condolenda & misera, conspicitur adhuc in regionibus bene multis parum exultis. Nihil audere, ne spiritum quidem libere ducere patiebatur quivis insolentior, ex grandiori scilicet oriundus prosapia. Dominandi libido pleraque posidebat nec non devorabat laboriosæ multitudinis stipendia, atque ad miseram frugalitatem, inopiamque condemnabat integrum ferme gentem magnatum effusior vivendi ratio; immo serviles in humeros graviora quævis devolvebat onera, spredo humanitatis jure.

Domesticam vero quod spectat vitam, nonnihil conjugalem amicitiam vexaverat durior maritorum ex religione falso prætensa auctoritas; educationem fere omnem aut ad mavorios aut litteratos ludos restrinxit vana opinio, amicitiamque una cum ceteris bene multis virtutibus ex mechanismo plus, quam libertate ingenua, dimetiebatur istius seculi genius. Neque tamen splendida amabiliaque hæc nomina virtutum, modestiam ipsam, industriam, moderationem, fidelitatem ita nostris inclauis se dixeris temporibus, ut palmam anteactis illis præripuisse videantur. Certum enim est, nos dudum vera nomina multarum virtutum amisisse, multoque riora esse nostro ævo decora, quæ familiaria quondam fuere inter majores.

§. 4.

Igitur nec reticendi sunt immensi, quibus in summa constituenda felicitate laboramus, *defectus*, quorum alii intellectum, alii iterum morum attingunt formam. Ad Illos quod attinet, ex summa adminiculorum varietate & scientiarum incrementis enatum esse videtur eruditio quoddam genus desultorium, quod insolentius in rebus, non modo humanis, verum etiam Divinis grasiari, in superficie ut plurimum hæc rere,

rere, ægre vero ad medullam ipsam penetrare amat; unde magnam noxam in Religionis iplius & Scientiarum campum illatam esse, manifestum est. Utrum vero hæc vagabunda cogitandi ratio, & qui hinc apud nonnullos ortus est contemptus Religionis Christianæ, pravusque libertinismus, fataliora nunc, quam antea, inflixerit civitati vulnera, an religionis ipsius propugnatoribus suppeditaverit ansam, ad pristinum suum atque nativum decus nobilissimam hanc restituendi doctrinam & religiositatem, jure ambigitur. Quamquam enim quod ex una parte deplorandum videbatur, ex altera mox reparatum sit, nec omnia molimina contra religionem adeo infesta sint censenda, ut lucrum inde capere ipsa nequeat religio; interim tamen fatendum est, parciores ex ingenti Philosophantium de religione turba, eruditionis pariter atque moderationis & constantiæ laudem attigisse, infinitam multis exarsisse fingendi & audendi licentiam, eamque ob causam studium, amorem & venerationem Sacrarum litterarum haud leviter refrixisse; unde nec mirum, si politiori in hominum circulo nonnihil evilesceret sensus Numinis cultusque religiosus & publicus & privatus, qui quondam tamen longe majori cum devotione, hominumque cujuscunque status frequentia celebrabatur. Esto enim, mechanicum nonnunquam hunc fuisse religionis actum apud majores nostros, eundemque adhucdum in ipsa plebe ruidori parum ultra externos interdum adscendere ritus; varia tamen & benigna ejus fuit vis ad omnes conformandos in vita sociali mores, nec sperare unquam convenit, moratioris vitiæ proditum esse habitum, quamdiu religiosa devotio flocci habeatur aut prorsus supprimatur. Hunc vero contemptum ac indifferentismum religionis, tam theoreticum, quam practicum, secundissimam quoque fuisse vitiorum matrem, merito pronuntiamus, genium hodierni ævi non minimis oppressi defectibus, a morum quippe parte, proprius jam, sed breviter, consideraturi.

B

Quid

§. 5.

Quid vero in hac *morum* depravatione primum sit, quid ultimum, haud facile dixeris. Historia quidem testatur, homines, quamdiu in vita summa vixerint fragilitate, multum semper infirmitatis passos, nec unquam immunes plane a vi torum fuisse tabe, atque propterea in ipsa hac mortuim imperfectione haud multum intercedere discriminis inter diversas gentium ætates; id tamen nostro præsertim, præ anteactis, tribuamus ævo, quod omnes fere exhauserit sensibilis voluptatis fontes, o pesque & affluentiam bonorum ad incredibilem sensuum extenorū restingvendam retulerit sicuti; quod luxum, intemperantiam, lasciviam, cetera, ad summum ferme fastigium evexerit, suæque levitati pleraque religionis & honestatis consecravit dictamina. Est hic seculi nostri quasi familiaris at fatalis & ignobilis genius, hæc politioris quoque orbis deturpata facies, quam si cum severioribus castioribusque majorum comparaverimus moribus, multo infra dignitatem humanam, quin immo possibilitatem fuisse detrusam, judicabimus. Quis effrenatam illam libidinem, omnia ambitiosius petendi, corradendi & consumendi; quis pertinacissimum egoismum, aliorum iuribus insolenter inhiantem, & a juvenili jam ætate animos hominum perperam occupantem; quis immodicum rerum omnium usum & luxum, gulæ & ventri omnia consecrantem; quis illicitos amores pudori naturali reclamantes, hincque propullulantem infelicitissimam contagionem & pestem venereum, innumeraque ex his omnibus turbidissimis rivulis derivata & generi nostro imminentia mala recensabit, aut cum anteactis conferet seculis, similia quæsiturus portentorum exempla; In confesso enim est, majores nostros tanta temperantiae, castitatis, pietatis & fidelitatis floruisse laude, ut vel nomen libidinosæ artis & fraudis horrerent, vitarent, castigarentque. — Jucundum quoque fuit cernere, hymenæum fanum non tantis quondam obnoxium divortiis discordiisque fuisse, quibus licentior nostra

nostra patuit ætas; siquidem intemperans sensuum vis non potest non pestiferum societati & conjugali & civili minari cladem, quum contra bene sit perspectum & comprobatum, nullis aliis artibus, quam puritate morum, suffulciri atque firmari civitatem univerlam.

§. 6.

Sed in his & aliis defectibus abusibusque exponendis, non est diutius immorandum. Ex iis enim, quæ breviter allata sunt, meridiana luce clarius patere arbitramur, cultum orbis Europæ hodiernum variis quidem inclarusse & promotum fuisse scientiis, variisque virtutum characteribus, veritatis studio, libertate, amore in patriam, justitia, beneficentia & humanitate; easque omnes longe altiores jam egisse radices, atque in vulgus emanasse quam antea; popularem porro institutionem & cogitandi universam methodum, aheneum quasi esse murum contra ingruentem quamcunque litterarum & civilis vitæ barbariem, aut despotismum; idque tanto certius quoque speramus, quanto testatus fit, humani generis has fuisse semper vices, ut ex oriente Religionis & Scientiarum luce, non modo ex ignorantiae & superstitionis fœdissima caligine sensim liberaretur, verum etiam ex morum asperitate & inhumanitate, qua servilis omnis opprimitur gens, caput suum extollere valeret. Doctrina enim salutaris, e Schola & eruditorum circulo ad univerlam plebis institutionem laudabili nostratum ope progrediens, uberrimos secum tulit atque in posterum proferet ad moratiorem vitæ habitum fructus. Horrenda saltem varia conticuere vitia flagitiaque, jubente ita religione & lege; in iis vero, quæ hodiernum cultum insecura sunt, malis, ea fortassis erit olim fatorum vicisitudo, ut ex ipsis tristissimis eventibus, postquam deforbuerint vitia, viresque evanuerint sensuales, medicamen exoriatur quoddam morumque castiorum incitamentum; siquidem malorum experientia haud raro virtutis fuit felicissima mater. Quemadmodum enim

enim horrendam post tempestatem fluxumque maris, innumeros inter scopulos saevientis atque ruinam minantis, placidior navigantibus demum adspirare cernitur aura, pariter atque dirissimas post morborum, quibuscum conflictandum fuerat, vexationes, restitutam nemo non fibi gratulabitur sanitatem; ita quoque sinceritatem virtutis nobilissimae, multis ex afflictionum atque adversitatum, multis illecebrarum sensualis naturae frustratis tentaminibus, periculis, tedium, tandem efflorescentem videbis. Multa delet dies, multa docebit, emendabit maturior ætas; quin etiam multa dabit socialis vita virtutum adjumenta. Cur enim anxiis mentem exagitamus nostram curis aut querimoniis? — Venturo scilicet tempori, Numinisque Supremi sapientissimæ providentiae hoc dabimus celsissimum peragendum negotium atque solatium.